



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Speculum Approbandorum Bipartitum

Unczovsky, Marianus

Coloniæ Agrippinæ, 1693

Quæstio XXI. An Confessio Sacramentalis debeat esse pura & fidelis?

urn:nbn:de:hbz:466:1-37308

satisfaciet per huiusmodi confessionem obligationi generali de procuranda propria salute.

S. Ità docent plurimi Theologi, quam doctrinam probant ratione sequenti, quia obligatio procurandi propriam salutem petit solùm, ut suscipiatur Sacramentum cum effectu, potest autem suscipi cum sola confessione per signa, & nutus, ergo Pœnitens ille in tali casu liber erit ad confitendum per nutus, & per hoc sufficienter providebit propriæ salutis.

V. Si tamen eligeret confiteri per interpretem, sufficietnè tunc manifestare interpreti aliquod, vel aliqua solùm peccata minùs diffamativa, vel etiam solas cogitationes peccaminosas?

S. Sufficiet.

QUÆSTIO XXI.

An Confessio Sacramentalis debeat esse pura & fidelis?

Vicar. **E**Xpone conditiones confessionis.

fionis in titulo Quæstion. positas?
 Sac. Dum quæritur: an confessio de-
 beat esse pura & fidelis? idem est æ-
 quærere: an debeat fieri ex pura & ho-
 nesta intentione, sinè mendacio, &
 æquivocationibus; has condiciones
 expresserunt SS. PP. Augustin. super
 Joan. Tract 26. & Bernard. super Can-
 tica Serm. 16. quorum prior inquit:
*hoc est confiteri, dicere quod habes in cor-
 de, si aliud habeas in corde, & aliud in
 ore loqueris, non confiteris;* posterior
 verò ità scribit: *quod remordet conscien-
 tiam, debet peccator confiteri humiliter,
 purè & fideliter, cui concordat versus
 ille: sit simplex, humilis confessio pura fi-
 delis;* idem exprimit Serm. 8. de Ad-
 ventu Doct. Mellifluus his verbis: *ho-
 norat veritatem, qui se & sua omnia in
 eo statu, in quo veritas se habet, & cogno-
 scit veraciter, & confitetur humiliter;*
 adjicienda huc videtur notabilis doc-
 trina D. Gregorij Lib. 22. Moral. cap.
 10. ubi habet sequentia: *plerumq; ho-*
 mi-

omnes culpas confitentur, & humiles non sunt, nam multos novimus, qui nullo arguente, peccatores se esse confitentur, cum vero de culpa sua fuerint correpti, defensionis patrocinium querunt, ne peccatores esse videantur &c.

U. Digni adnotatione hi textus: quæro autem an sit de essentia confessionis esse puram, seu ex honesto fine factam?

S. Si finis fuerit tantum venialiter malus, non reddet confessionem invalidam, imò nec infructuosam, siquidem gratia stat cum peccato veniali, secus si finis involverit malitiam peccati mortalis, tunc enim resultabit nullitas confessionis, & Sacramenti.

U. Quale peccatum est mentiri in confessione?

S. Mendacium circa materiam non necessariam, ut circa venialia, aut circumstantias non necessariò exprimendas, item circa mortalia jam remissa in aliqua priori confessione, per se loquen-

quando est tantum veniale, per accidens tamen posset fieri mortale, si quis v. g. confiteretur sola venialia per mendacium conficta, quia tunc redderet Sacramentum invalidum ob defectum materiae; mendacium vero circa mortale nondum remissum, item circa aliquam circumstantiam necessario explicandam est per se mortale, quia Pœnitens in re gravi decipit Confessarium, & facit Sacramentum irritum, ob defectum doloris & propositi, utpote habens actualem affectum ad peccatum mortale.

U. Si mentiri circa aliquam circumstantiam necessario explicandam est mortale, concludo, quod etiam peccaret mortaliter Pœnitens, mentiendo circa aliquam circumstantiam venialem, supposito, quod necesse esset illam scire ad consulendum Pœnitenti, & tollendas occasiones proximas peccandi mortaliter.

S. Peccaret, quia mentiretur in re gravi

vi i
dac
dar
Q
U.
tam
S. N
cus
catu
con
intr
mor
grav
U. C
Pœn
isse
refe
nea
fion
S. S
zum
ject
dilig
enti

vi in præjudicium suæ salutis, & mendacium esset in signum, quòd se emendare nollet. Bonac. de Pœnit. Disp. 5. Q. 5. Sect. 2.

U. Quid si confiteretur mortalia, quæ tamen non fecit?

S. Nisi ignorantia, vel bona fides excusaret, mortale quoq; incurreret peccatum, similiter augens numerum in confessione mendaciter, numerando intrà eandem speciem plura delicta mortalia, quàm sciat se perpetrâsse, graviter peccaret.

U. Occasione hujus responsi quæro an Pœnitens confitens se fornicatum fuisse circiter octuagesies, postea autem rescians id factum fuisse centies, teneatur istum excessum in alia confessione aperire?

S. Supponendo priorem illum numerum fuisse sub dubio explicatum, adjectis consuetis particulis: *plus, minus*, diligensq; præcessisse examen conscientia, dicunt aliqui Theologi non teneri

neri, volentes numerum vigesimum
 tanquam iudicio viri prudentis respec-
 tu octogenarij parvum intelligi, &
 comprehendi sub illis particulis *plur,*
minus, habentibus sensum respecti-
 vum ad numerum cui adjacent, ita ut
 quanto fuerit major numerus, cui ad-
 duntur, tanto etiam major sub prae-
 dictis particulis prudenter intelligi pos-
 sit. vid. Coninck. de Pœnit. D. 7. n. 62.
 Lug. de Pœnit. D. 16. n. 96. Alij autem,
 inter quos Diana 3. part. Tract. 4. Re-
 solut. 94. dicunt illas particulas ad
 duo tantum, vel tria extendi.

U. Sit casus, quod Pœnitens interro-
 gatus de aliquo peccato mortali, quod
 verè commisit, verecundia impellen-
 te, respondeat se non commisisse, pe-
 cato an in confessione sequenti singula
 peccata antecedenter confessa repe-
 re debeat?

S. Si alio Confessario, quàm antea,
 utatur, absq; dubio omnes confessio-
 nes sacrilegas, & peccata mortalia o-
 mania,

omnia, quæ in his vel suppressa, vel expressa fuerunt, de novo enarrare debet, secus si eidem Confessario suam conscientiam aperiat, qui fortè adhuc in confuso recordaretur Statûs Pœnitentis, & etiam Pœnitentiæ injunctæ, quamvis neq; hæc recordatio sit necessaria, dummodo sciat Confessarius Pœnitentem sibi semper fuisse confessum: quare satisfaciet exprimendo peccatum antea suppressum, & addendo sacrilegium commissum. Granad. part. 3. de Sacrament. Controvers. 7. Tract. 9. Disp. 12. n. 5. Dian. part. 5. Tract. 14. Resolut. 51.

U. Nonnè verum, quòd quandoq; Pœnitens, ut constanter bonus appareat suo Confessario ordinario, majora scelera deponere soleat apud ignotum Confessarium, leviora verò apud ordinarium, quæro an hoc liceat?

S. Quando Pœnitens hoc facit ad conservandam bonam famam, dummodò singula peccata mortalia commissa &
non

nondum confessa manifestet Confessario extraordinario, licitè facit, sic enim locum non habet hypocrisis aut mendacium, quia verissimum est à parte rei, de quo se accusat Pœnitens, neque committitur aliquid contra integritatem confessionis, nam pro Confessario ordinario reservatur vel materia confessionis non necessaria, ut peccata venialia, vel fortè aliqua levia mortalia, jam antea confessa, & directè remissa, dummodo tamen Pœnitens non circumeat, aut procedat ab uno ad alium Ministrum Pœnitentiæ, ad hoc, ut liberius peccare valeat, sic enim graviter delinqueret, & quia non esset voluntas, seu propositum emendandi vitam, confessio foret nulla.

V. Possèt contingere, quòd Pœnitens ideò circumiret, quia Confessarius ordinarius graviores dat pœnitentias, vel acriùs reprehendit peccata, & ideò leviora huic, graviora autem alteri confiteretur. S. Hac

S. Hæc variatio non videtur admittenda sinè peccato : scire enim debet Pœnitens, quòd confessio illius debeat esse *parere parata*, quæ conditio non solum petit promptitudinem ad exequendum mandata Confessarij, verùm etiam affectum ad suscipiendum monita, patienterq; auscultandas reprehensiones illius, recogitando monitum S. P. Augustini, monentis Pœnitentem Lib. de vera & falsa Pœnitent. c. 15. ut se ponat in potestate Judicis, in judicio Sacerdotis, paratus omnia eo jubente facere pro reparanda animæ vita, quæcunque faceret pro evitanda corporis morte, & hoc cum desiderio &c. graviùs autem peccaret ille, qui non assignato, sed alteri Confessario contra præceptum Superioris confiteretur, consultò assignantis præcipuè juvenibus in Religione Confessarios rigorosos, ut majori freno à peccatis cohibeantur Layman. Lib. 5. Tract. 6. c. 8. Henriq. Lib. 2. de Pœnit.

c. 16.

c. 16. Coninck. de Sacrament. Disp. 6
dub. 4.

V. Suntne aliæ conditiones confessionis Sacramentalis ultra assignatas?

S. Dixi confessionem debere esse puram & fidelem, humilem ac simplicem, ita ut Pœnitens exterioribus actibus ostendat se peccatorem resplendente humilitate in situ & gestu, omitatq; verba superflua, vel talia, quibus occultantur peccata, neq; admisceat impertinentia: ultra observo confessionem debere esse *frequentem*, id est, quod consultum sit, ut sæpius fiat, & non tantum semel in anno: item *discretam*, id est, ut discernantur dubia & incerta à certis, serveturque bonus ordo, enumerando v. g. primo locò peccata contra DEUM, secundò contra proximum, tertiò contra se ipsum: item *nudam*, id est, ut peccatorum gravitas non pallietur metaphoricis locutionibus: item *libenti animo*, id est, cum promptitudine factam, Pœnitentem.

nitente ultro se accusante, & non expectante interrogationes, seu inquisitionem Confessarij: item *verecundam*, id est, cum pudore absq; jactantia, sive non debet extra casum necessitatis confessio fieri Sacerdoti, qui est peccati complex: item *laerymabilem*; id est, ut peccator loquatur in amaritudine animæ cum vero dolore interno, & licet externæ lacrymæ non sint in potestate hominis, sic tamen peccata confiteatur, ut deflere non contemnat: item *acceleratam*, id est, ut quæ sicut onus grave gravant, festinet Peccitens deponere, non diu differat, sed præoccupet faciem Domini in confessione: item *fortem*, id est, contemnentem timorem confusionis, cur enim confunderetur peccator dicere, quod non est confusus perpetrare? aut cur vereretur Domino indicare, quod non est veritus ipso præsentem committere? & hoc cum firmo proposito non peccandi impofterum: item *accusantem*.

N

id

id est, ut non sit excusatoria : item *parere paratam*, quæ conditio includit supra expressa, votumq; satisfaciendi.
V. Non restat ulla alia?

S. Confessionem debere esse secretam ostendi supra, integritatem non apposui, quia mihi persuadeo, quòd circa hanc conditionem placebit proponere multa.

V. Ità est, multa inquiram, verumtamen priusquam descendamus ad discutiendam hanc conditionem, propter supradicta adhuc aliqua proponam resolvenda : dixeras Pœnitentem in confessione non debere admiscere, aut adferre impertinentia, quæro : an si diceret se exercuisse aliquas actiones præcisè ut commodas naturæ humanæ, narrando se aliqua verba lepida protulisse &c. quæro inquam : an compareret cum materia sufficienti confessionis?

S. Non, utpote comparens cum materia non peccaminosa, nam præceptum
tum

tum non est, referendi positivè omnes actiones ex se indifferentes in finem honestum, neq; homo tenetur semper operari, juxta regulam rectæ rationis, modò non agat contra illam, prout non ageret, si tales operationes indifferentes exerceret cum debita moderatione, imò ageret juxta rectam rationem saltèm permittentem.

U. Dixisti etiam confessionem non debere fieri Sacerdoti, qui est peccati complex.

S. Non debet fieri extra casum necessitatis, si quæ enim sunt prohibitiones particulares, non habent locum urgente necessitate, alioquin extendendo illas etiam ad casus necessitatis non essent in ædificationem, sed potiùs in destructionem, utpote contra charitatem.

